



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Adoratione Eucharistiæ


Boileau, Jacques

Viennæ, 1743

Cap. VIII. Diluuntur argumenta assumpta ex pompis adhibitis ad Sacramenti venerationem: cereis accensis, suffitu, floribus, quibus altaria exornantur, & iconibus Eucharistiæ, a Jesuitis apud Indos ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49201](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49201)

Spirituales affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos huius sanctissimi sacrificii fructus uberius proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat.



CAPUT VIII.

Diluuntur argumenta assumpta ex pompis adhibitis ad Sacramenti venerationem: cereis accensis, suffitu, floribus, quibus altaria exornantur, & iconibus Eucharistiae, a Jesuitis apud Indos fabricatis.

ULtro fatemur, ejusmodi cultus exterioris notas inventum habere difficilem apud veteres Christianos: sed cum adoratio interior in spiritu & veritate, Corporis Christi in Eucharistia, ineunte ætate Ecclesie, ita ut adulta & senili, semper factita-

ta sit; obfirmato pectore defendimus, ex his cæremoniis & ritibus externis, libertatis & fervoris Christiani fœtibus genuinis, non posse colligi, novum dogma de adoratione Eucharistiæ exhibenda constitutum fuisse, veteribus Christianis inauditum & inusitatum,

Non hic repetere opus est, quæ libro I. abundanter explicuimus. Dico tantum, nihil in Arnobio Tertulliano, & Clemente Alexandrino, magis adversum aut repugnans suffitui, fertis florum, aut cereis accensis reperiri, quam quod Origenes, Lactantius, & Cyprianus, adversus templa protulerunt: quibus tamen ad synaxes & preces publicas uti Protestantes non recusant. Igitur fateri necesse est, fore sanctos & pietati fidelium conducibiles ejusmodi ritus, exterioresque cæremonias, dummodo ad normam dirigantur, & salibus sancti & religiosi objecti condiantur. Pluviam & serenitatem votis & suppliciis ab idolis expetere, gran-

grande piaculum crimenque horrendum Gentilium fuit; quod iisdem in verum Deum conversis, magnum religionis ac veræ pietatis Christianorum argumentum evasit. Suffusus apud Ethnicos impius & sceleratus, apud Judæos justus & pius fuit. Quemadmodum ergo infinitos foetus specie dissimiles ac diversos, Sol in visceribus terræ vegetat: Deus verus omnes cultus & cæremonias exteriores ad se relatas perficit, & ad veram pietatem & religionem utiles efformat ac dirigit. Quid vero magis incommodat aut repugnat Christianæ religionis legibus, cæremonias ac ritus quosdam Gentilium in usum & ascesim Ecclesiæ Catholicæ transferre, quam verba Gentilitati destinata, ac veluti consecrata? quibus uti ipsi Scriptores Canonici non pertimescunt. Epist. 2. S. Petri cap. 2. v. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.* Ezechielis cap. 8. v. 14. *Et ecce ibi mulie-*

